DISSERTATIO INAUGURALIS DE DIAGNOSI MEDICA QUAM PRO DOCTORIS...

Gaspare Tambara

DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
DIAGNOSI MEDICA

QUAM PRO
DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO
ARCHIGYMNASIO PATAVINO
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

GASPAR TAMBARA
LINIACENSIS

PATAVII
EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA
1843

Dies pervenit quo studiorum meorum metam attingo, hodie vos, doctissimi praeceptores, me a scholasticis disciplinis dimittitis, et me mihi ipsi in admodum momentoso artis Medicae munere traditis; de hoc si laetus sim, an trepidatione premar prospiciens difficilem viam quae mihi ante oculos patefit, nunc fateri nescirem; et quoniam ab academicis statutis, hoc momento, aliquid, quasi studiorum meorum specimen, de Medicina disserere jubeor, nil aliud faciam nisi mihi modum statuere qui tutior ad morborum diagnosim perducit, ut per ipsum, quantum fas est, difficile in errorem delabi possim.

Diagnosis medica profecto summe gravissimum praebet argumentum, cujus dignitatis atque difficultatis Ippocrates ipse sententia illa nos docuit: Medicus sufficiens ad morbum cogno-

scendum, sufficiens ad sanandum. Praecepta de institutione praxeos clinicae tradere certe medico tironi minime decet, ditissima requiritur scientia tum theoreticae tum practicae medicinae, ejusque consonus usus; quapropter in hoc insistere argumento nullo pacto mihi licitum erit, nisi vos certos reddam, quod hujusmodi doctrinae clinicae necessitate atque utilitate devictus a scientia summorum virorum, atque ab institutionibus vestris exiguae hasce pagellas colligere volui.

Diagnosis medica sensu latiori sumpta est tamquam pars pathologiae generalis, quae principia statuit ad eruendam non tantum formam specialem, sed indolem etiam, omnesque morborum proprietates. Ut autem haec cognitio perfecta adipiscatur oportet ut mutationes in organismo morbosae quales sint et quo tendant innotescant; sed cum haec perraro sensuum ope perspici sinant, persaepe medicus in conditione tali versatur ut tantum causae latentis effectus, quae tamen detegenda est dignoscat. Intellectui igitur arcana indagare pertinet, est ille qui e perceptionibus sensuum, idest e symptomatibus cognitis ad naturam morbi incognitam nos deducit. Quapropter signa haec intento animo consideranda merentur, ipsa nobis unicum ducem praebent, ne saepius ac necesse sit per ambages aberremus, ab ipsorum recta aestimatione certae aut falsae conclusiones dependent. Attenta igitur phoenomenorum perscrutatio, convenienti doctrina surrecta, in investigatione morborum tamquam fundamentum medici dexteritatis sistit.

At persaepe in aegrorum examine facile in errorem delabi possumus nisi pro viribus adlaborare studeamus ut quae nobis adversantur obstacula prosternamus. Examen idcirco tranquillo animo, a mentis illusionibus libero, atque a praeconceptis ideis immuni suscipere debemus; hujusmodi enim obstacula, quamvis levissima in causa sunt quod res quales sint minime inspiciantur, et permulta quae sensibus percipiantur, aliena veste induta, spectatori instar jam ante menti opinionis formam assumant; tunc illa tantum prospiciantur, et illa tantum, etiam si absint, undique inveniantur.

Ut autem investigationes medicum ad rectum finem perducant maxima sedulitate, patientia, atque sagacitate instituendae sunt: sedulitas efficit ne ea quae inania adparent negligantur, et quae facillime praetermissa saepissime aut totam morbi ideam mutant, aut saltem obnubilant: patientia de rebus perspectis nos certiores reddit, sagacitas a fallaciis atque a mentis illusionibus nos tuetur. Examen igitur iterum iterumque si necesse sit est renovandum, sic iterato tunc facilius falsa a dubiis, a probabilibus dubia, probabilia a certis secernere possumus. Medicus absque hujusmodi solertia veram morborum ideam sibi parare nequit; quae sint essentialia et constantia ab accidentalibus et non constantibus dignoscere nescit, nexus inter causas et effectus ignorat,

sed istos cum illis confundit, neque quod morbum, non agnoscit aptas therapeuticas indicationes statuere potest.

Nonnulla haec ante habita quae medico in examine aegrorum praesto esse debent, nunc ad recensenda signa accedendum est, quae auxilia diagnostica dicuntur, nempe: Symptomata atque signa omnia, dispositio totaque aegri constitutio, corpus et animam concernens, momenta causae occasionalia, tandem effectus therapiae jam institutae, regiminis, dictae, aliarumque durante morbo in aegrum potentiarum agentium.

Cum autem persaepe in morborum perlustratione fiat, ut auxiliorum diagnosticorum jam enumeratorum unum alterumve non raro penitus deficiat, aut nec exacte et vere, nec perfecta erui possit, ut cognitiones ex immenso naturae scientia, atque Physiologia speciatim suppeditandae saepe multae deficiant, ut tandem diagnoseos formatio e scientia, judicio, atque praxi medentis immediata dependeat, neminem fugiet, diagnosim morborum firmam atque completam adquirendi multis in casibus medicum etiam scientificum, rationalem atque versatum maxima premi difficultate, imo et impossibilitate, cum non raro incompleta solum et incerta contentus esse cogatur.

His saepe obstantibus, nihilominus tamen cu-

,juvia est medici pro viribus adlaborare, ut saltem ad completam atque solidam accedentem diagnosin adquirat. Quam ut quivis medicorum adsequatur, modum debet ingredi quemdam, quo ad sequentium perveniat momentorum cognitionem, et quidem: primum indolis morborum, dein formae, magnitudinis, modificationis, decursus ac stadii, tandem semplicitatis atque complicationis

Ad hujusmodi diagnosim efformandam duplici via perduci possumus: Methodo sive analytica quae nos docet symptomata omnia priore atque praesentia bene perspicere ac pensitare, ut ex collectione eorum dein saltem morbi formam cognoscamus; sive methodo synthetica tali nempe quae constitutionem totumque individui habitum nec non momenta occasionalis excitantis aestimanda tradit, et ex hujus duplicis momenti aestimatione genesis morbi, ejusque cognitio sponte fluit.

Summa tamen securitate utraque methodus in usum est trahenda, quoniam neutra si unica solum per se consideraretur ad diagnosim ab erroribus liberam non conducit. Et revera priori methodo etiamsi symptomata inter se bene comparentur atque compensentur, ut essentialia sic dicta pathognomonica ab accidentalibus, non constantibus, cum morbo in intimo nexu non cohaerentibus separentur atque distinguantur, dantur persaepe casus in quibus me-

dicus summa premitur difficultate, quoniam non raro morbos habet curandos, in quibus aut symptomata pathognomonica statuere non potest, aut quaedam eorum tantum eruere non valet, quibus absentibus, idea morbi incerta evadit, aut symptomata pathognomonica pro parte caelantur, aut inadaequate indicantur. Morbi non raro a medico observantur, qui etiamsi toto caelo diversi iisdem tamen notantur symptomatibus characteristicis; cum econtra morbi persaepe fere similes observantur, quibus tamen symptomata diversa adhaerent. Sola pariter methodus synthetica incepta est, nam parmape et dispositio aegri, et momenta excitantia non ubique bene sed imperfecte explicantur et qui inde affectus progrediuntur, eumimus definiuntur. Saepe morbus ipse aegri constitutionis et momentis excitantibus adaequatis minime respondet, quoniam morbus saepe in decursu naturam et formam mutat, quae a primaria differt.

Quodsi autem utramque in usum trahimus methodum, ita, ut alterutra adjuvetur, corroboreturque, tunc tutior erit diagnoseos constructio. Medicus itaque scientificus semper viam ingreditur methodo analytica, at dein methodo adhibet synthetica. Ex phaenomenis praeteritis et praesentibus facilis struitur diagnosis; dein vero poterit medicus dispositionem et causam excitantem, et momentum ex ju-

vantibus et nocentibus dijudicare, ut ita morbi diagnosis per hanc ultimam methodum non solum adjuvetur, sed et corroboretur, vel si per primam methodum vera ac certa non fuerit, methodo secunda aut modificetur aut plane anihiletur. Quod si vero ad diagnosim faciendam viam hanc inverteremus, tunc magnis atque crebris expositi essemus fallaciis; nam fluctuantes saepe ac steriles nec non hypotheticas construeremus morborum diagnoses. In specialibus solum casibus, uti: in morbis e violentiis externis, a venenis natis, a contagiis nonnullis artis haec via inversa reservanda est.

De morborum indole eruenda. Cum hocce momentum eruendum medici judicium solum, sagacitatem, ejusque summam attentionem ad mutationes internas vitae aegrotantis exposcat, facile inde patet omnium esse gravissimum et ad diagnosim et ad therapiam instituendam; tum etiam difficillimum nec non impossibile saepe ad cognoscendam.

Intelligitur autem sub nomine indolis, naturae, essentiae morbi etiam dictae, propria vitae ratio quoad materiam organico-animalem, et vires a norma deflectentis.

Ut medicus ad cognitionem summe rationalis hujus momenti, et ex vera et interna morbi intuitione resultantis perveniat, duplicis vitae in organismo viva manifestationis, nempe: in viribus virtutibus, et

in materie organico-animali respectum habeat. Vires vitales non solum corporis, verum etiam et animae a norma deflectere possunt; utraque autem triplici modo aberrare possunt, quantitative idest nimis exaltatas aut depressas, vel etiam suppressae, et hoc aut in toto organismo, aut in singulis ejus systematibus et organis, aut horum partibus ad singula systemata principalia spectantibus. Qualitative seu in modo reagendi a norma deflectentes aut in variis systematibus et organis aequales aut differentes, imo et oppositae inveniuntur; quo facto erui debemus an sensibilitas, an irritabilitas, an assimilandi et reproducendi facultas, et quali in modo alienatae sint. Tandem quoad commercium vitale duplex iterum dari potest ratio virium a norma deflectentium, consensu nempe et oppositione vitali, quorum qualis sit modus inter systemata et organa detegendus est. Materiarum autem organico-animalium et fluidae et solidae, quantitativae et qualitativae et cum quo virium vitalium statu conjunctae eruendae sunt.

His praemissis mutationibus quae in organismo accidere possunt; et quae variam morborum indolem constituunt, nunc ad ea quae medici menti inesse debent in investigatione symptomatum quibus morbi manifestantur, accedamus.

Primum fons eorum indagari debemus, quo eruitur an a morbo praesente pendeant, vel a momen-

tis lateralibus; dein symptomata in nexu intimo cum morbo ipso cohaerentia, sic dicta essentialia, ab accidentalibus non essentialibus, et idiopathica a sympathicis distinguantur oportet. Symptomata haec seorsim desumpta in unum colligenda sunt, dein modum, quo inter se singula sunt juncta, an per consensum an per antagonismum systemata atque organa invaserint, an in morbo per totum ejus decursum quoad intensitatem atque extensitatem aequali modo sibi successerint, scire oportet. Tandem symptomatum omnium collectorum sedes, eorum intensiva atque extensiva magnitudo aestimanda est.

Sed ex hac phaenomenorum tantum pensitatione medicus de morbo ideam nimis generalem atque abstractam sibi pareret, nisi et aegrum omni latere cognoscere studeret, nam non quidam morbus dignoscandus atque devinciendus est, sed individuum quodam morbo adfectum in sanitatem est restituendum. Peculiaris texturae organicae ratio, et peculiaris vitae quantitas, quae in ipso generationis actu singulis individuis diversa largiuntur, et quae aliunde progressu temporis pro vario rerum circumstantium influxu modificantur, in caussa sunt quod unicuique individuo singulum ac proprium inesse debet reagendi modum, quo cum rebus externis in commercium venit, et a potentiis morbificis diversimode afficiatur, unde variae ad morbos dispositiones

enascuntur, ita ut eadem causa morbifica agente, tunc major, tunc minor sit in morbum proclivitas, tunc unum tunc aliud morborum genus in scenam prodeat. Exinde patet quanti sit momenti in morborum diagnosi recta aegri constitutionis atque dispositionis aestimatio. Quapropter ad dispositionem eruendam sequentia adnotanda erunt: Primum dispositio ad morbum non tantum generalis sed etiam specialis et quidem totius organismi, et singulorum ejus systematum atque organorum consideranda venit; tunc praecipue illa organa respicienda, quae immediate causae morbificae effectum subierunt; praeterea dispositio ante causae nocivae comparatur cum dispositione peracto causae morbificae in corpus vi vum impetu.

Tandem deveniamus oportet ad rationem quae omni respectu rigorosiori causae morbificae examini subjiciendae sunt, ut etiam hac ex parte indolis morborum diagnosis suffulciatur. Omnia ea quae organismi statum normae convenientem subvertere valeut causae morbificae nuncupantur; hujusmodi causae in duos dividuntur series: praedisponentes nempe quae per se solae morbum inducere non valent, sed tantum occasionem praebent ut organismus alterius seriei causis quae occasionales dicuntur affici possit. De praedisponentibus in investigatione dispositionis jam retulimus nunc ad eruendas causas oc-

casionales accedamus. Hunc in scopum oportet ut medicus in aegri et aliorum relationibus, quas ad perscrutanda momenta causalia in usum trahit, summam impendat circumspectionem, priusquam momentum effatum pro causa morbifica agnoscat; qua de re aegri dispositionem sub qua causa morbifica egit, totam, in quantum possibile est detegat. Cunctae circumstantiae quae ad morbificam referuntur causam, uti: ejus agendi ratio, directio, extensio, tempus, duratio, repetitio respiciandae veniunt, quae ut causae morbificae qualitates omni ex parte explorentur. Quod si plures egerint causae, tunc tempus et successio inquiranda sunt, quibus singulae egerunt, ut facile symbolo, quam quaelibet contulit innotescat. Si vero medicus causam morbificam rite perspexerit, veramque agnoverit, tunc eam cum symptomatibus et anamnesticis et praesentibus prudenter conferat, ut inde erui possit, in quantum symptomatum indoles, magnitudo, sedes praecipua, initium, totusque decursus et morbi duratio indoli causae morbificae, agendi rationi, directioni, tempori et loco conveniat.

Momenta ex juventibus atque nocentibus desumpta diagnosim quidem formare insufficientia, factam tamen corroborare valent, quando jam ex praecedentibus momentis instituta fuit.

De eruenda morborum forma. Collectio, seu

syndromen omnium symptomatum morbosorum simul sumptorum, tum pathognomonicorum tum accidentalium externam morbi formam exhibet.

Nemo certe in dubium vocabit, hanc diagnoseos partem valde esse momentosam ad indolem ejus eruendam. Cuncta symptomata vel ex communi et unica caussa, ut in simplici morbo vel ex pluribus caussis, diverso modo agentibus, uti in morbo complicato proveniunt. Quodsi itaque numerum symptomatum morbosorum, et functionum multiplicium multifarie laesarum consideremus, non miramur, si innumeras morborum formas invenimus, quae nil aliud ac tot morborum physiognomiae considerandae sunt.

Ut nobis morborum formae cognitionem adquiramus, necesse erit eruere: Symptomata omnia praeterita, et praesentia, et quidem relate ad tempus, pronti per totum morbi decursum constiterunt, variarunt, sibi successerunt, intensitate et numero aucta vel imminuta; et relate ad spatium pronti a corpore ad animam, vel vice versa, an ab animae facultate una ad reliquas, an ab organo corporis uno, vel systemate ulterius progressa, vel tandem ab omnibus animae facultatibus ad unam, vel ab universo organismo ad partem singulam concentrata fuerunt. Dein a symptomatibus communibus ad propria, a generalibus ad specialia, idest a characteribus classis ad illos ordinis, generis, tandem speciei et varietatis descenditur, at-

que collecta cum morborum singulorum imaginibus, quae in Pathologia speciali delineatae obveniunt, conferenda sunt.

De morborum magnitudine eruenda. Magnitudo morbi semper determinanda, scilicet: vehementiae aut levitatis gradatio varia. Haec in diagnosi aestimanda et in morbi denominatione exprimenda est; nam quoad prognosin eo certior atque facilior erit eventus fausti aut infausti determinatio, et quoad therapiam medelae gradus gradui morbi rite poterit adaptari.

Magnitudo morbi duplex consideranda venit: intensiva seu gradus, et copia virium adfectarum, et extensiva seu quantitas materiei organicae morbo detentae; ad intensitatem et dignitatem morbi definiendam oportet, ut medicus completam morbi naturam, decursum, symptomata quoad gradum, extensionem et numerum cognoscat; dein et cognitionem sibi paret non solum de dispositione aegri, de conditione systematis aut organi morbo detenti, sed etiam de ejus influxu in organismum totum, in vitam, in valetudinem aegri Hinc semper sit instructus exactis anatomiae, et physiologiae cognitionibus, nec non pathologiae, ac verae experientiae principiis. Tandem in computum trahat causas occasionales, aliaque momenta lateralia.

Quoad magnitudinem extensivam: limites, quos

in casu dato jam attingerat morbus, difficillimum profecto erit opus, nec non saepe impossibile; itaque medicus persaepe contentus esse debet duos tantum limites definire, scilicet an morbus sit universalis, quando ideat symptomata essentialia, per organismum totum, aut systema aliquod principale diffunduntur; aut topicus si symptomata ad singula tantum organa restringuntur.

De morborum modificatione, seu varietate eruenda. Sub nomine modificationis seu varietatis morbi intelliguntur diversi illi morborum habitus, qui a diversa intensitate, extensione, nec non dignitate et decursu dependent. Modificatio ergo tantum formam non indolem morbi respicit. Haec varia morborum modificatio dependet: vel a conditione aegri totius, vel systematis tantum et organi cujusdam, hinc omni latere aegrum perpendendum est, sub respectu scilicet ejus temperamenti, constitutionis, habitus morbosi, aetatis, sexus, vitae generis, nec non morborum aliis vicibus repetitionum. Vel a proprietatibus causae nocentis dependet, nec non noxarum lateralium, hinc quales, quanta vi, et quo tempore causae morbificae in aegrum egerunt. De hujusmodi duobus momentis eruendis jam antea mentionem fecimus. Tandem morbum a morbis coexistentibus modificatur, et hoc in posterum pertractabimus.

Pro tali morborum varietate seu modificatione etiam prognosis facienda, atque therapia in casu da-

to instituenda cognitio modificationis morbi summi in praxi est momenti; nam species morborum non dantur in praxi constantes aequales, sed millenis in casibus millenae a medico observari possunt modificationes.

De morborum stadiis eruendis. Quilibet morbus quoniam tempore exoritur, duret, et finitur, legibus temporis subjectus esse debet; nunquam quoad formam adeo constans morbus observatur, ut certas per decursum non subeat mutationes summe saepe essentiales, quae non solam semper formam, interdum et indolem spectant. Exemplo nobis sint variolae: haec nunc visibiles per decursum morbi exortae mutationes certis definiuntur stadiis; nam pro horum diversitate phaenomenorum, etiam successio, successionis series, modus et celeritas variare consuescunt; hinc medicus nunquam stadiorum cognitione carere potest, si practicam formaturus sit diagnosim.

Sequentia generatim in morborum decursu normali observantur stadia: Stadium nempe generationis, prodromorum, introitus et formationis, incrementi et acmes, decrementi et finis, quibus pertinet convalescentia.

Nullus observatur adeo levis morbus, ut non habendus sit respectus non solum ad stadium, in quo in praesentiarum versatur morbus, sed etiam ut praesens stadium cum jam elapsis bene conferatur, et

ideo morbus in quavis fere aetate sua consideretur; nam pro diversitate stadiorum, pro morbi specie secundum stadia variabili, non salum curatio morbi diversa, haud raro opposita instituenda, sed et prognosis, saepe toto caelo a priori differens stabilienda venit.

Ut sibi medicus, diagnosi morbi facta, stadiorum quoque non minus scitu necessariorum comparet cognitionem, sequentia ab ipso requiruntur momenta: scilicet ut totum morbi decursum ad praesens quo nunc versatur tempus, quoad symptomatum omnium initium, evolutionem, intensitatem, extensionem, numerum, durationem et successionem studiose perlustret; ut dein hunc morbi decursum cum stadiis in pathologia speciali delineatis, nec non observatione caste confirmatis perfecte conferat.

Quoad convalescentiam illud tantum addendum esse censemus, quod hic intermedius inter morbum jam abactum et sanitatem adhuc nondum restitutam status consuetim in chronicis morbis, qui longas celebrant periodos, ad cognoscendum difficilis observatur. Cognoscitur tamen ex perstante symptomatum morbi specialis deffectu, et ex imminutione et cessatione effectuum morbi procedente.

Quorum momentorum ut sibi comperet medicus cognitionem requiritur: ut morbum quoad indolem et totum ejus decursum perfecte cognoscat; ut decursum morbi quale percurrat stadium attente obser-

vet animu; ut denique illum ipsum cum morbi historia, nec non cum redeuntis sanitatis signis comparet.

De morborum simplicitate atque complicatione eruenda. Cognitio horum momentorum complicationis, simplicitatis, nec non compositionis morborum medico summe est necessaria; nam aliam simplex et aliam complicatus exposcit therapiam morbus.

Simplicem autem vocamus morbum illum, qui in eodem aegro sub unica tantum specie et singillatim observatur; cum econtra complicatus ille, qui sub duabus aut pluribus in aegro obvius sit speciebus. Huc quoque compositus pertinet morbus, ille nempe qui in diversis organis aut systematibus plurias obvenit.

Ut autem medicus ad cognitionem horum perveniat momentorum, sequentia erunt eruenda: primum si plurias morborum sunt species, tunc forma cujusvis speciei perfecte cognoscatur et discernatur, nec non ejus intensitas et extensio essentialis non minus quam etiam accidentalis negligatur; dein symptomata diversa quoad initium, decursum rationem et durationem bene pervestigari debent; tandem et potentiae morbificae, una aut plures juxta omnes suas qualitates, actionem praegressam aut praesentem, actionis hujus tempus, et locum omni ex parte examinatur, et quae inde fluunt, symptomatum morbosorum respectus habeatur.

Quanti sit momenti in medica praxi doctrina de

complicationibus clare patet, cum perpendamus quod per illam permultae illusiones, quae diagnosim atque morborum curam impediunt, detegantur et vera morbi idea in conspectum veniat. Inutilis persaepe, et interdum etiam perniciosa fit methodus curativa, dum aliqua unius vel alterius morbi complicatio adsit; ex. gr. china absque fructu, persaepe et cum damno in febribus intermittentibus illis praescribitur, quae etiam si legitimae adpareant, tamen a fomite quodam irritativo aluntur, uti in febribus intermittentibus gastricis, vel aliis morbis adsociatis non raro accidit.

Hic autem admonendum obvenit, quod duplex adesse potest complicationum essentia: vera et, ut ita dicam superficialis. Morbosa complicatio vera nuncupatur tum cum phoenomenorum morbosorum syndromes respectu habito originis, et indolis, non unum tantum adesse morbum, sed eodem tempore plures in aegro adesse demonstret; sic ex. gr. scorbutus cum syphilide, pelagra etc.; chlorosis cum pelagra phtysi etc.; conjuncta tamquam vera complicatio habenda est. Dum econtra superficialis dicitur complicatio illa, quae qua talis adparet, tum cum morbus simplex quoddam organorum systema aut organum tantum vehementer adgrediat, et sympathiarum legibus, quae inter varias corporis partes intercedunt, obtemperantia alia systemata et organa in consensum trahat; ita ut phaenomena in scenam

prodeant morborum qui revera non adsunt. Sic in vehementissimis morbis flogisticis haud raro symptomatum gastricorum adparatus, nec non nervosorum non desunt, qui morbo primario devicto sponte evanescunt; sic pariter morbi gastro-enterici, pro sympathiarum tantum lege, in pulmonibus aut cerebro, tales atque tantas turbas concitant, ut a medicis imperitis quae verae pulmonum, aut meningum adfectiones habeantur.

Admonendum tamen est quod complicatio quaedam ab initio mere superficialis morbus vere complicans fieri possit; et revera, ut hoc principium ad casum specialem adplicemus, ventriculo atque intestinis sympatice primum morbo detentis, sub tali rerum influxu interdum accidit, ut conditiones in ipsis evolvantur, quae essentialem gastrismum inducere valent, tahque pacto affectio gastrica irritativa morbo primario adsocietur, et vera complicatio sistit.

Haud superfluum forsan nunc non erit, sub fine hujusmodi difficillimi pro quovis medico negotii, quasdam adnectere regulas, quibus in diagnosi medica instituenda rite observandis medicus studeat: Morbus quilibet juxta divisionem in pathologia generali factam, an nempe sit dynamico-organicus, vel organico-dynamicus; dein an universalis, totum organismum, aut systema generale quoddam plectens, aut localis, organon aut partem singulam adficiens considerandus est.

Quoad numerum morborum medicus respiciat, num simplex, complicatus, aut compositus sit. Hinc praecipue symptomata characteristica ab accidentalibus bene debet distingui, ne morbus saepe simplex pro complicato habeatur.

Nunquam medicus ex paucis tantum aut singularibus phoenomenis morbosis, sed collectione omnium, ne praematuro obripi videatur judicio, diagnosim formandam suscipiat.

Diagnosis quotidie ad lectos aegrorum recens, collectis recenter cunctis symptomatibus morbi, formanda est, ut jam facta aut corroboretur aut rejiciatur.

Quod si ob defectum aut contradictionem symptomatum pathognomonicorum secura diagnosis institui non possit, tunc ne pudeat medicum, nullam se penitus construere diagnosim. Sit tunc contentus negative, idest ut sciat, quid morbus non sit.

Quum ab aegro sub morbo eruendo medicus multum signa subjectiva eruat oporteat, summe semper adhibeat securitate, ne denominationibus morbi forsan ab ipso aegro adsignatis, aut ejus opinionibus seducatur.

Tandem denominatio morbi, seu nomenclatura medica indoli et formae morbi, in quantum fieri potest, conveniens a medico statuatur, neque, diuturno usu confirmata, sine gravi causa mutetur.

THESES DEFENDENDAE

I. Ab indolis seu naturae morbi clara cognitione therapeuticae indicationes rite statuendae praecipue dependent.

II. Non semper est in potestate medici completam ac firmam ut quolibet in morbo statuat diagnosim.

III. Non frequantia, sed raritas potius aegrorum ad lectos observandorum schola medicis optima.

IV. Phoenomena quae tamquam sympathica in diagnosi rite statuta fuerunt, in decursu morbi non semper directa non indigent therapia.

V. Licet vita per plus minusve longum temporis spatium sine nutrimentis servetur, id non probat quod in sola incitabilitate sistat.

VI. Quae vitam promovent et sustinent, ipsius destructioni quoque favent.

VII. Azotum principium non est exclusive animale.

VIII. Venae sectio in asphyxiis non semper cum levamine, persaepe et cum damno instituitur.

IX. Auxilia hygienica pro quovis individuo different.